DISSERTATIO JVRIDICA
DE
FLVMINIBVS,
Von
Wasser-Flüssen.

Quam

AVSPICE DEO



PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO AC CONSVLTISSIMO

DN. GEORG-ADAMO Struven/

JCTO ET PROFESS. PVBL. CELEBERRIMO, INCLYTÆ FACVLT. JVRID. SENIORE, ET h. t. DECANO, CONSILIARIO SAXONICO, ET CVRIÆ PROVINCIALIS, NEC NON SCABINATVS ASSESSORE GRAVISSIMO,

PRÆCEPTORE SVO ÆTERNVM HONORANDO,

Publicæ eruditorum disquisitioni


submittit

HENRICVS von Einsiedel/

Eques Misn.

ad diem 17. Augusti. 1659.

JENÆ,
Typis PAVLI ERICHII, 1716.



PRÆFATIO.



A in nos bonitate est benignissimum Numen, ut cuncta, quæ creavit, in nostrum usum ac commodum fieri jusserit. Quamvis eorum plurima lateant Divino judicio corruptas mentes, & quæ natura mortalium gratiâ primum formaverat, nunc invida abscondat, Potentissimo Creatori subindè obsequens: Attamen quicquid vastus oceani ambitus, quicquid immensa terrarum moles complectitur, hominis caussâ productum. Neque necessitatibus tantum nostris provisum est, sed & recreationi. Varia & pœnè in diversos colores, prout, vel longius abest, vel proprior se conspectui offert, distributa viriditas mirè delectat. Flores arborum & fructus grato odore & gestu demulcent sensus: Fluminum quoque, horum amœnissimis flexibus campos cingentium, & piscium vertilitate faventium accolis, illorum commercia ad vitam civilem necessaria per alveos promoventium, sicuti magnus usus, ita haut minor jucunditas. Sed de his paulò uberius in hoc discursu videre animus est. Optarem saltem jurium circa illa occurrentium eandem facilitatem, quâ delabuntur, & sperarem, me fortè non tanta judiciorum diversitati conatus meos expositurum.

THESIS I.

Quamvis originem vocis sponte cuivis obviam esse, facilè crediderim, morem tamen & veterum JCtorum exempla *in l. 1. de off. quæst. l. 1. §. 1 de pact. l. 1. de furt & passim* secutus illam à fluendo deduci, haut præterire lubet. Indè fluminis vocabulum, indè & fluvii oritur. Latiùs autem acceptum & rivum & torrentem comprehendit. *Hering. de Molend. qu. 15. Hinc Virg. 2. Æneid.*

— Rapidus montano flumine torrens.

Aliàs rivus est tenuis aquæ decursus, & vel naturalis, vel manu factus: Atque in hoc posteriori significatu describitur ab Ulpiano in *l. 1. §. 2. de Riv.* quod sit locus per longitudinem depressus, quo aqua decurrat. Amnis quidem etiam rivus est, sed frontibus redimitus. Differunt rivi à flumine magnitudine, ita, ut vel ex plurium confluxu flumina fiant, vel ex fluminibus per angustiores meatus deriventur. Torrens verò hisce versiculis à flumine distingui solet:

Flumine perpetuo torrens solet altius ire,
Sed tamen hæc subita est, illa perennis aqua.

Th. II.

Planè autem hinc remotam volo illam significationem, quâ flumen sumitur pro aquâ pluviâ in unum per canales aut tubulos coacta, & ratione ejus duplex servitus constituitur: Fluminis scilicet avertendi & non avertendi. Quarum illa est jus, quo vicinus pati cogitur, ut aqua pluvia in canalem recepta, in aream, vel solum suum cum impetu feratur: Hæc, quâ vicino non licet, flumen ex suis ædibus veniens avertere à nostro prædio. *Vir Amplissimus & Excellentissimus Dn. Georgius Adamus Struve JCtus celeberrimus ac Præceptor meus omni honoris cultu prosequendus, Syntagm. Jurisprud. Exerc. 13. th. 16.*

Fortè,

Fortè, quod priori casu obesse, posteriori prodesse vicino possit. vid. *Manz. tract. de servit. qu. 49.*

Th. III.

Remotâ itaque ambiguitate, describo flumen, quod sit aqua in suo alveo perenni fluxu per ripas decurrens. Quinque ejus partes numerari solent: Ortus s. fons, qui caput alias appellatur & exitus, qui pedis nomine venit, aqua profluens, alveus & ripæ. De singulis, quantum ad institutum pertinet, seorsim quædam.

Th. IV.

Magnorum fluminum capita veneramur; subita & ex abdito vasti amnis eruptio aras habet: inquit *Sen. epist. 41. & Tac. 1. ann. c. 29. quosdam populos sacra & lucos & aras patriis amnibus dicasse.* Ex horum relatione constat, superstitiosam antiquitatem etiam flumina instar Deorum coluisse; fortè, quod vivas fontium venas & perpetuas fluminum scaturigines mystici aliquid admixtum habere putaverint. Ita divinos honores Nilo, Euphrati, Tiberi & Mœandro tribuisse, atque illorum insolitas mutationes in omen mutationum imperiorum vertisse Ethnicos, legimus apud *eund. Sen. l. 4. Nat. qu. c. 2. Tac. 6. Ann Plin. 3. Nat. hist. 5.* Certè & nos, quamvis absque tali religione, naturam hâc in re miramur, quæ ductas per multa milliaria aquarum venas, tandem ubicunque exitus patet, etiam quandoque per saxa emittit. Verumenim verò, unde hæ aquæ tantâ sæpissimè vi erumpentes veniant, ubi gignantur, diversæ extant opiniones.

Th. V.

Aristoteles *l. 1 Meteorolog. c. 13.* existimat, flumina ex aëre, vaporibus & subterraneis exhalationibus in aquam solutis pronasci. Quod ita proponit *Jac. Pontanus lib. 3. Progymnasm. 14. Per terræ corpus patent cavernæ & foramina longè plurima, quæ, ne usquam sit inane admistum rebus, aer à summo*

 pene-

penetrans complet, & ob frigus loci tepore suo spoliatus crassior & humidior evadit; Hinc destillans, paulatimq; ingeminantibus & crebrescentibus guttis aliquo defluens, fontium fluminumq; scaturigines producit. Etenim, cum aër humido & calido componatur, aqua frigore & humore, si ille coërcitus & inclusus in subterraneis specubus calorem amittat, necessariò in aquam commutabitur, quæ semel fluendi adepta initium, nunquam desinit, quod ad vacuum prohibendum, novus semper aër in locum colliquescentis surrogatur, & accessionibus postmodum aliarum aquarum eam augeri perennitatem certissimum est, &c. Sed quamvis in subterraneis specubus magnam aquæ vim latitare, atque inde oriri flumina, negari non possit; tamen illas ipsas aquas & consequenter flumina omnia ortum suum debere solis vaporibus, vix videtur asserendum: nec fortè ea est mens Aristotelis: Quandoquidem illi non sufficiunt tot aquis generandis. Quantà enim vaporum copià esset opus, vel & unici saltem fluvii constitutionem. *Sed hâc de re vid. Excellentiss. Dn. Johan. Zeisold. not. in Jacchæum l. 7. c. 14.*

Th. VI.

Alii aquam pluvialem fluminum caussam esse, eamque certis quibusdam cavitatibus ac alveis, undè dimanent, intra terram excipi putant. Sed hæc opinio non uno argumento refellitur ab iis, ad quos hoc argumentum spectat: ex quibus hæc de ortu fluminum saltem referimus. Nam primò pluvià per tempus benè longum deficiente, flumina nihilominus manent, quod fieri non posset, si genuina fluminum caussa essent aquæ pluviales. Deindè experientia edocuit, aquam talem, quæ decidit, terram infra decem pedes non madefacere, sed partem terræ superiorem, vel totum humorem absumere, vel expletam facietate nullum excipere atque à se exclusum per torrentes & rivos in flumina diffundere. Verba Sapientissimi Senecæ elegantia *l. 30. c. 7. Nat. qu.* quæ huc faciunt,

ciunt, lubet adjicere: *Ego tibi vinearum diligens fossor affirmo* inquit, *nullam pluviam esse tàm magnam, quæ terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat. Omnis humor intra primam crustam consumitur, nec in inferiora descendit. Quomodo ergò imber potest suggerere amnibus vires, qui summam humum tangit? Pars major ejus per fluminum alveos in mare defertur. Exiguum est, quod sorbet terra, nec id servat. Aut enim arida est, & absumit, quicquid in se fusum est; aut satiata, si quid præter desiderium cecidit, excludit. Quid, quod quædam flumina erumpunt saxis & montibus. His, quid conferent pluviæ, quæ per nudas rupes deferuntur, nec habent terram, cui insideant? Adjice, quod in siccissimis locis, putei in altum acti, per ducenum aut tricenum pedum spatia, inveniunt aquarum uberes venas in eâ altitudine, in quam aqua non penetret; ut scias illic non cœlestum esse, nec collectitium humorem, sed quòd dici solet, vivam aquam.*

Th. VII.

Mihi cum sacrâ Scripturâ sentire videtur tutissimum, quæ *Eccles. 1, 7.* dicit: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; Ad locum, undè exeunt flumina, revertuntur.* Undè mater aquarum mare & pater ac perpetuus hospes oceanus rectè dicitur. Hoc, quamvis multis incertum videatur, cum vera ejus caussa in aperto non sit, tamen primò sacri Codicis autoritate nititur. Deindè, si quæ in speciem obstantia reperiantur, ea haut difficulter solvi poterunt. Inter ea præcipuum ferè est, quod respectu multarum terræ partium humilius mare sit, atque sic stante hâc sententiâ, aquam contra naturam suam sursum niti, sequatur. Verum istud huic opinioni fidem derogare non potest, cum fatear quidem, aquam recto itinere nunquam ascendere: Nemo autem, ut credo, inficiabitur, eam per varios flexus & anfractus, cavernis specubus & aliis cavis locis terræ immitti, & quia sunt angusta ab extrin-

extrinsecus incumbente mari compressam, sursum pelli posse. Atque hoc modo, eàdem, quà ortum fluminum operà, & exitum eorum indicavi; ubi illud saltem adhuc notavero, quod fluvii, vel in proprio alveo, vel aliis infusi in mare devehantur Nunc ad reliquas partes deveniendum.

Th. VIII.

In iis primum locum occupat, Aqua profluens; quæ, quid sit, cuique notum: Ea scilicet est, secundùm quam labi flumen & fluere dicitur; cujus partes singulas aliis alias succedentes spectamus. Movetur illa, vel naturali suo cursu, quo ob loci positionem & devexum alveum ad inferiora subindè decurrit, qui motus internus vocatur: Vel incitatur à vento, tempestate, terræ motu, qui externus *Sen. l. 3. c. 3. Nat. qu. Gryph. de Insul. c. 18.* Hic fortuitò & quandoque saltem fit: Ille perpetuò & quamdiu flumen durat. Nec dubium est, etsi quædã flumina à terrà absorbeantur, ea nihilominus continuato intra illam cursu iterum prorumpere. Ita Rhodanum in Galiis terræ, non sine strepitu, immissum, post intervallum quoddam se exerere, certum est: Tigridem in Oriente idem facere testis est *Sen. l. 2. Nat. qu. c. 26.* Cujus verba, cum hoc ipsum non sine consuetà concinnitate efferant, adscribam: *Quædam flumina, inquit, palàm in aliquem specum decidunt, & sic ex oculis auferuntur; quædam consumuntur paulatim & intercidunt: Eadem ex intervallo revertuntur, recipiuntq; & nomen, & cursum. Caussa manifesta est, sub terrà vacat locus. Omnis autem humor naturà ad inferius & ad inane defertur. Illo itaq; recepta flumina cursus egere secretò. Sed cum primùm aliquid solidi, quod obstaret, occurrit, pruruptà parte, qua minus ad exitum repugnabat, repetiere cursum.*

Th. IX.

Sequitur nunc, ut de alveo videam, qui est fossa illa, per quam flumen labitur. Dicitur aliàs venter fluminis seu lectus ejus,

ejus, in quo recubat: *Bartol. tr. de alluv. in pr.* atque dividitur, in naturalem i.e. consuetum sive antiqvum, & non naturalem, puta, quando inundatus est. Mutant verò quandoque alveos suos flumina idque vel arte ducente vel naturâ: Prius fit, cum derivantur flumina, ut aliò cursum suum dirigant, quam consuevêre, quo de prudentissimum Taciti judicium extat *l. 1. Ann. c. 79. Optimè rebus mortalium natura consuluit, quæ sua ora fluminibus, suos cursus, utq; origenem, ita fines dedit.* Quod ipsum *Forst. not. ad h. l.* confirmat, dum inquit: *Fluminum derivationes vix unquam benè successisse, perpetuâ observatione notatum est: Nec enim sibi vim inferri natura patitur.* Posterius, cum proprio motu alio fertur: De quo inferius plura.

Th. X.

Postremo loco de ripis etiam quædam addenda veniunt, quæ sunt crepido sive illa continentis extremitas, quæ utrinque flumine alluitur & flumen continet. A JCtis describuntur, quod sint id, quod flumen continet, naturalem cursus sui rigorem tenens *l. 1. §. 5. de Flum.* seu, quæ plenissimum flumen continent *l. 3. §. 1. eod.* Sicut igitur littora maris, ita ripæ fluminum termini sunt, quamvis interdum hasce appellationes confundi, notet *Oetting. de jure & controv. lim. l. 1. c. 12. lit. l.* Cœterum si quando vel imbribus, vel mari, vel aliâ ratione ad tempus excrevit flumen, ripas non mutat. Nemo enim dixit, Nilum, qui incremento suo Ægyptum operit, ripas suas mutare, vel ampliare. Quamdiu igitur ad perpetuam suam mensuram redit, non mutat, sed ripæ alvei ejus muniendæ sunt. Si verò naturaliter creverit, & perpetuum incrementum nactus sit, vel alio flumine admixto, vel quâ aliâ ratione, dubio procul est, ripas mutâsse, sicut, si alveo mutato aliò cœpit currere *d. §. 5.* Duplicem autem significatum habere ripas, tradit *Dilectus Dominus Parens tr. de Regal. c. 1. n. 280.*

 Primò

Primò enim esse ripas, quæ sec. Paulum in *d. l. 3. §. 1.* plenissimum flumen continent; solum sc. seu sabulum illud, quod à plano ad fluvium usque declive est: Secundò non nudam illam terræ extremitatem indigitari, sed aliquid de solo plano, quod ripæ declivi contiguum est atque usum navigantibus præbere potest. *l. f. h. t.*

Th. XI.

Hæc de divisione totius in suas partes attigisse sufficiat, ordo in præsenti postulat, ut de divisione generis in suas species agatur. Dd. autem flumina variè dividunt & quidem (1.) ratione quantitatis in Majora & Minora: (2.) Ratione fluxus in Perennia & non Perennia seu torrentes. Illa, uti facilè constat, vocant, quæ semper fluunt, & quamvis quandoque exarescant, tamen talia esse non desinere statuunt; *Sigism. Bug. Disp. de re & jure aquat. th. 48. Stypm. de jure marit. & naut. part. 2. c. 5. Gryphiand. de Insf. c. 2.* Hæc, quæ hyeme fluunt, æstate verò exsiccantur. Sed hæc aliqua distinctio potiùs est, quàm vera divisio. *vid. supra th. 1.* (3.) Ratione specialis usûs in navigabilia & non navigabilia: Illa dicuntur, quæ naturâ suâ navigationi apta sunt: Atque hoc sufficit, licet actu nunquam in iis navigatum sit. *Stypm. d. tract. c. 7. Sigism. Buchn. d. th.* Siquidem hoc nomen verbale (navigabile) ex propriô suô significatione aptitudinem tantum & potentiam denotat, non actum, ut possibile, vendibile mobile. Hæc sunt, in quibus nequit navigari, vel quod non sint satis profunda, vel trunci arborum, saxa, aut alia impedimenta transitui obstent. (4.) Denique sunt vel publica vel privata.

Th. XII.

Publicum aliquid privatumque diversimodè dici tradit *Sigism. Buchn. d. disp. th. 46. & 47.* Publicum nimirum esse, (1.) quod & patrimonio & usu populi est: (2.) Quod usu tantum: (3.) Specialiter, quod unius populi; Privatum itidem

duo-

duobus modis accipi: Primò pro eo, quod publico opponitur, quod scilicet usui publico aptum non est: Secundò pro eo quod singulorum est. Idem quod hoc attinet, testatur *Hering. de Molend. qu. 15.* publici autem adhuc aliam acceptionem affert, quâ vel pro eo, quod est populi Romani, sive superiorem non recognoscentis, vel, cujus usus in commune expositus est & omnibus patet de populo, sumitur, quasi dicas populicum. Cœterum, quid flumen publicum sit, quid privatum, non inter Dd. convenit. Sigism. Buchn. *d. disp. th. 51.* flumen privatum esse dicit, quod ad tempus fluit & navigabile non est, alii aliter. Melius fortè flumina privata describes, quod sint, quæ quoad dominium & commercium ad privatum pertinent. Hoc est, de quibus libera disponendi facultas privato competit. *Justus Meier. Coll. Argent. ad tit. de Flum.* Publicum flumen ab Ulpiano Celsi & Cassii sententiam approbante *in l. 1. §. 3. de Flum.* describitur esse id, quod perenne est: Cui quamvis quidam Dd. hoc non sufficere statuentes, alia requisita ex *l. 2. h. t. l. 1. §. 1. eod.* superaddant, atque hæc interdum concurrere dubio careat, non tamen facilè à LL. sententiâ recedendum, præsertim cum ea sec. jus Digestorum non incommodè defendi possit *add. §. 2. I. de rer. div. Dn. Ludwell. not. ad Wesenb. parat. in h. t.*

Th. XIII.

Flumina itaque omnia strictè ita dicta *vid. th. 1.* publica sunt *§. 2. I. de rer. div. l. 4. ff. eod.* Et ut olim in populi, sic deinceps in Principis potestate, quoad jurisdictionem, quoad usum verò omnibus communia fuerunt. *d. §. 2. & §. 4. eod. Oetting. de jure & controv. lim. l. 1. c. 12.* Hinc si vel in instrumento, vel statuto verbum (flumen) inveniatur, publicum intelligitur & tale præsumitur, donec probetur contrarium. *Stypm. d. tr. part. 2. c. 5. & ab eo alleg. Sigism. Buchn. d. Disp. th. 47.* Jam, dum flumen publicum dixi, ejusdem juris &

aquam & alveum & ripas esse, statuere non ambigo. Et alveus quidem absolutè talis est, cum subindè fluminis sequatur, conditionem & impossibile sit, ut alveus fluminis publici, non sit publicus *l. 1. §. 7. de flum. Sigism. Buchn. d. disp. th. 52. Gryphiand. d. tr. de Insf. c. 11. Diss. Hering. de Molend. qu. 15. n. 11.* Quamvis enim alias, quicquid solo imponitur, solo cedat: *§. 29. 31. 32. I. de rer. div.* Tamen primò hæc regula ob limitationes, quas aliàs etiam patitur, hûc vix extendi poterit: Deinde flumen cum alveo non ita cohæret, ut æficia, vel plantæ, vel sata cum solo, sed planè speciem terræ in quâ fluit, immutat & non est alveus, nisi ubi flumen.

Th. XIV.

Aqua & ripæ fluminum certâ ratione publicæ sunt: Aut enim aqua consideratur, ut talis simpliciter, eum usum præbens, quem qualibet alia, ad lavandum, aquandum pecora &c. & hoc sensu communis est. *§. 1. I. d. t.* Aut ut collecta flumen constituit, & usus ejus in piscando, navigando consistit, & hoc respectu huc pertinet. *d. §. 2. Donell. 4. comm. c. 2.* Ripa, si pro nudâ illâ extremitate sumatur, quæ plenissimum flumen continet *l. 3. §. 1. h. t.* sine dubio absolutè publica est *d. l. 3. h. t.* cum tunc & ipsa pars alvei sit *v. l. 1. §. 7. Eod.* Si verò talia terræ spatia intelligimus, quæ illis extremitatibus contigua usum præbere possunt navigantibus, tunc quod usum publica, quoad proprietatem privata sunt, & illorum quidem, quorum prædiis hærent. *§. 4. I. de rer. div. l. 5. ff. eod. l. 30. §. 1. de acqu. rer. dom. Dilectus Dn. Parens tr. de Reg. c. 1. n. 280. c. 3. n. 60. Stypm. d. tr. part. 2. c. 5. n. 357. vid. thes. 10. in fin.* Indè naves ad eas appellere, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his reponere, retia siccare & ex mari reducere, (quod hic insertum esse, non immeritò miratur *Hering. d. tr. qu. 17. n. 17.* cum de ripis, non de littoribus sermo sit) cuilibet liberum est. *l. 5. de rer. div. § 4.*

I. eod.

l. eod. Sed mirum cuidam videri poſſet, ripas non ſequi conditionem fluminis, ut littus maris. §.5. *l. d. t.* Huic igitur dubio & ſuperius dicta ex parte ſatisfaciunt: Deindè ratio differentiæ hæc eſt, quod littora mari ſubjaceant & quotidianis acceſſibus ab eo occupentur; ripæ econtra non ſubjaceant flumini, ſed illud contineant. *Broncborſt. 1. Miſcell. Aſſert. 5. Stypmann. d. tr. part. 2. c. 5. n. 359. Donell. 4. comm. 3. lit. d.* Deniqúe Beſold. *Diſſert. de jure & div. rer. c. 2. n. 5.* cum id etiam littus vocitetur, quod mari adjacet, quamvis refluxu maris non obruatur, & ubi ædificium poni poteſt *d. l. 5. de rer. div.* putat in eo eſſe differentiæ ratione rationem: Quod accolæ riparum teneantur eas munire, adeoque æqvum ſit, ut ad ipſos pro hoc incommodo pertineat proprietas: In littoribus autem hoc ſecus eſſe.

Th. XV.

Dixi ſuperius *v. th. 13.* flumina, ut olim in populi, ita deinceps in Principis poteſtate fuiſſe, atque eo ipſo ad Regalia pertinuiſſe & adhuc pertinere volui indignitatum. De quo quidem Dd. unanimiter conſentiunt, quà autem ratione, quo reſpectu ad illa referantur, de eo opiniones eorum mirè variant. Stypmann. *d. tr. part. 2. c. 5. n. 52. &c.* exiſtimat: Flumina in dominio, patrimonio, liberrimà poteſtate, & omnimodà proprietate Principis eſſe, atque hoc modo ad Regalia referri. Contrariam huic opinionem fovet Hering. *de Molend. qu. 16. n. 25.* ac non ſine zelo quodam defendit, erroris arguens, qui contra ſtatuunt. Oetting. *d. tr. l. 1. c. 12.* ex Baldo *in l. ſi plures C. de condit. inſert.* affert, quod flumina quidem univerſim conſiderata, ſint in dominio Cæſaris & Imperii, ſed ſi ad ſingula reſpiciatur, eorum proprietatem pertinere ad eos, quorum territoria tranſeunt. Denique Petr. Frider. Mindan. *tr. de proceſſ. mandat. l. 2. c. 36. n. 6.* putat: Vias & flumina publica ratione jurisdi-

ctionis pro Regalibus haberi, & jurisdictionem illam se extendere eò, ut etiam ex justâ causâ prohiberi possit, ne in flumine navigetur. Quam sententiam & ego probo, si de jure Civili sermo sit. Nimirum ratione proprietatis & usus ea ad Regalia non relata fuisse, patet ex *d.* §. *2. & 4. de rer. div.* Is enim fuit publicus, h. e. cuilibet ex populo liberum fuit piscari, & per ipsum flumen navigare *dd. text.* Quoad jurisdictionem vero eò pertinuisse testatur. *l. 2, h. t.*

Th. XVI.

Hodierno jure omnia flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia, non solùm quoad dominium & jurisdictionem, sed etiam quoad proprietatem & utilitatem indè provenientem ad Regalia & publica Imperii bona referuntur. *2. feud. 56. Ampliss. Dn. Struve, Syntagm. Jur. Feud. c. 6. aph. 7. n. 6. Gryphiand. d. tr. c. 12. n. 6. Sigism. Buchn. d. diss. th. 49.* Inde Principem & alios, qui ab eo Regalia habent, posse liberè de fluminibus disponere, dubio caret: Ex æquitate tamen privatis usum navigiorum & aquarum prohibere in totum sine causâ non debet, quamvis restringere illum & certas ei conditiones addere possit. Optimè autem in *c. un. quæ sint Reg.* tantum flumina navigabilia & ex quibus fiunt talia, inter Regalia referuntur, tum quod majorem defensionem, ut tutum iter pateat navigantibus, & majorem curam, ne vetitæ merces, vel in- vel evehantur, exigant, tùm quod locupletes reditus sine damno subditorum fisco inferant. *Stypmann. de jure marit. & naut. part. 2. c. 5. Henning. Arnisæus de jur Majest. lib. 3. c. 5.*

Th. XVII.

Ex his igitur constat, flumina non amplius usu, h. e. ita publica esse, ut usus eorum liberrimus populo sit concessus, sed Principes eum limitasse, sibi omnia vendicasse commoda, quæ ex iis proveniunt, atque flumina diutissimè possessa, nunc jure

jure proprio tenere. Hæc omnia non injustè facta esse, vel inde patet, quod nullum subditorum detrimentum subsit. Quamvis enim usus ille coarctatus sit, tamen nemini aliquid decessit de suo: Et sanè præstat ad sustentationem Imperii & augendos reditus tale quid occupare & impendere, in quo nemo privatus sibi aliquid juris asserere potest, quam subditos immoderatis tributis onera. Atque subditi faciliùs exiguo tali commodo, quale usus omnibus absque dubio foret, carere, quam se ita ultra modum gravari pati possunt. Imò commodum potius ipsorum in eo versari videtur: Cum non pauci piscationibus debiti otio essent vacaturi, atque hoc modo defuturi, qui artificiis, qui laboribus, operam navarent. Deinde etiamsi hoc non sine damno quodam subditorum fieret, publica tamen utilitas privatæ est anteponenda. Accedit, quod, cum quæ communia sunt, fiant privati, qui ea occupat, nihil vetet, fieri publica, & ad Principem pertinere, quæ ab ipso occupantur.

Th. XVIII.

Flumina hæc, aut retinere Principes, ac elocare solent, sibi tamen plerumque quibusdam reservatis, aut aliis in feudum concedere, directo dominio apud ipsos remanente. Ita Principes Imperii nostri de territoriis suis investiti, & exercitium summi post Imperatorem Imperii, omnia Regalia ac per hoc jura fluminum possident. Ita nobiles immediati ab Imperatore, ita mediati ab Imperii statibus per investituram flumina tenent, & quomodo sunt in patrimonio Principis, ita deinde ad cessionarium vasallum pertinent. *Amplis. Dn. Struve, Syntagm. Juris feud. c. 6. aph. 7. & 22. Stypman. d. tr. part. 1. c. 3. 7. 8. part. 2. c. 5. Hering. qu. 15. n. 13.* Hinc jure feudali quædam flumina Regalia, quædam Bannalia dicta sunt: In illis Princeps jure patrimoniali vectigal capit, & ideo modum & tempus piscationis constituit iisque Magistratus proprios præficit. Bannalia, quæ eruditi præscripta vocant, quibus-

busdam beneficiariis ſive Vaſallis aut conceſſione Principis, aut longi temporis præſcriptione, ut alio juſto titulo quæſita ſunt. *Octting. d. tr. l. 1. c. 12. ubi etiam alias adbuc fluminum diſtinctiones affert.*

Th. XIX.

Acquiſito jure fluminum, tria potiſſimum commoda domino inde obveniunt. Piſcatio nimirum, inventa & navigatio. Piſcationem quod attinet, ea antiquitus, & ſecundum juris Gentium diſpoſitionem omnibus communis fuit §. *2. J. de rer. div.* Præſertim, cum piſces inter eas res relati ſint, qui primi occupantis fiunt. §. *12. eod. l. 14. de acqu. rer. dom.* & injuriarum actio contra prohibentem detur. *l. 13. §. 7. de injur. l. 1. §. 9. ne quid in loc. pub.* Nec obſtat, quod in *l. 7. de diverſ. & temp. præſcr.* dicitur, quod, ſi quis ſolus pluribus annis in fluminis publici diverticulo piſcatus ſit, alterum eodem jure uti prohibere poſſit: Id enim ex *l. 45. de uſurpat. & uſucap.* explicandum; quod ſcilicet, quamdiu uſum iſtum continuat, & diverticulum non deſeruit, alterum arcere poſſit. Atque ſic immotæ veritatis manet, præſcriptionem longæ poſſeſſionis ad obtinenda loca jure Gentium publica, concedi non ſolere, *d. l. 45. add. l. 6. de rer. div. Gothofr. in not. add. l. 45. Donell. 5. comm. 22.*

Th. XX.

Hodiè ſicuti flumina, ita & jus piſcandi & reditus piſcationum ſunt de Regalibus. *Ampliſſ. Dn. Struve Syntagm. Jur. Feud. c. 6. aph. 7. n. 10.* Licèt enim privati ſæpiſſimè jus piſcandi & ex eo reditus habeant, id tamen à ſuperiore obtinuerunt. Atque hoc jus, ſi id non alii conceſſerit, pro certo vectigali elocare poteſt Princeps *l. 7. ut in flum. pub. 1. de loco pub. Deinde in Principis etiam eſt arbitrio*, inquit *Sigism. Buchn. diſp. de jure aquar. th. 79. licet privatum ſit flumen, modum præſcribere, quomodo & quo tempore capi debeant piſces,*

vel

vel non: Ut, ne quando sobolescunt, wann sie leichen. *In publicis autem fluminibus, ut quibusdam piscari non aliter, quam hamo*, mit dem Angel / *aliquibus cum certo saltem, nonnullis cum omni genere retium atque excipularum liceat*, mit Wurffgarn / Reussen und Aelstock legen / beym Licht fischen oder krebsen: *Omnibus verò in perpetuum severissime interdicere, ne globulis quibusdam*, mit Fischaas / *pisces extrahant majores, minutulos vero deperditum eant.* Cæterum concesso à Principe jure piscandi in flumine, non statim etiam aucupium, anseres, anates, aliasque feras aves retibus in flumine vel ad ripas capiendi, vel etiam sclopeto trajiciendi concessum videbitur. Sed anne domino foresti, an verò aquæ domino, jus venandi castores, fibres & lutras competat, dispiciamus. Sanè amphibia sunt, & in terris æquè ac aquis aluntur & vivunt: Mulum damni piscationi, fruticibus, arboribus in ripâ positis, quas dentibus, ut ferro cædunt; ipsis denique ripis perfodiendo eas inferunt. Ideoque, cum ambo incommodum inde sentiant, non dubito utrique jus venandi has bestias adjudicare. *d. Disp. th. 58. vid. Noë Meur.* Jagt und Forstrecht. *verbis.* Doch schließlichen finde ich bey den erfahrnen geschickten Jägern / daß der Otter gar keine Freyung / in Forst gar nicht gehörig / von männiglichen (denn man nicht allewege den Forstherrn gleich an der Hand haben mag) umgebracht möge werden / es wäre denn / daß die Hunde in Forst offt und zu Unzeiten geführet / dem Forstherrn dadurch sonderer Schade zugefügt würde.

Th. XXI.

Inventa *v. th. 19.* jure Gentium & illi assistente jure Civili regulariter primo occupanti cedunt, ac fiunt invenientis *§. 18. I. de rer. div.* Inveniuntur autem, vel quæ nullius, vel quæ alicujus fuerunt: Illiusmodi sunt lapilli, gemmæ, margaritæ, aurum; quod in quibusdam fluminibus aureas are-

nas

nas volventibus reperiri testatur *Gryphiander d. tr. c. 18. n. 49. Noë Meur. d. tr. c.* von Goldgründen des Reins. Hujusmodi sunt (1.) res pro derelicto habitæ & quas dominus eâ mente abjecit, ut eas in numero rerum suarum e e nolit: Quarum dominus inveniens statim efficitur, cum alter, eo ipso quo abjicit, dominus earum esse desinat. §. *47. I. d. t.* (2.) Thesaurus, quem, si quis in flumine proprio invenit, solus jure Civili capit §. *39. I. h. t.* Ab alio fortuitò repertum inventor cum domino fluminis dividit: Datâ verò operâ in alieno, vel Magicis artibus in suo scrutanti meritò denegatur, & posteriori casu applicatur fisco. *Sigism. Buchn. d. diss. th. 117.* Jure feudali thesaurus in flumine per feudum concesso, sive ab ipso vasallo, sive à tertio inventus, inter dominum feudi, & inventorem dividendus est: *Schultz. Synops. Inst. Imp. ad d. t. lit. a. a.* Et in quibusdam etiam locis ad fiscum refertur. *Ampliss. Dn. Struve in prælect. ad d. §. 39.* (3.) Bona naufragorum, quæ ex consuetudine Siciliæ, Angliæ, Italiæ & olim Germaniæ ad Regalia referri & Magistribus reservari, ex *Luca de Penna in l. 1. C. de naufrag. & Kirchn. de repub. Diss. 17. coroll. 7. tradit Schultz. d. loco lit. t.* Verum hanc consuetudinem tanquam valdè iniquam sustulit Frid. II. Imp. in *aut. navigia, C. de furt.* Quem etiam secutus est Carolus V. *in Const. crim. art. 218.* Imò ex dispositione juris Canonici, qui ex naufragiis emolumentum capiunt, & naufragium passos spoliant, ipso facto sunt excommunicati *c. 3. ext. de Raptor. Joh. Loccen. de jure Marit. l. 1. c. 7. vid. Stypm. d. tr. p. 5. c. 5.*

Th. XXII.

Hodiernâ consuetudine, quod bona attinet, quæ alicujus fuerunt, idem, quod jam dictum, observatur: Quæ verò antea à nemine possessa sunt, hodiè ad Regalia pertinent. Hinc *Sigism. Buchn. d. Diss. de jure aquat. th. 215. Reperta in fluminibus & ripis jure Civili occupanti conceduntur. Est tamen*

men huic juri per Principes & Magistratus flumina & mare accolentes, nec sine gravissimâ ratione, publicum bonum potissimùm concernente, derogatum &c. Uti noviter à Senatu Aquitanico inventoribus massæ cujusdam Ambræ, quæ aliquot mille coronatis æstimabatur, ad littus ejectæ, restitutio injuncta, & adjudicata domino, cui omnimoda jurisdictio ibi locorum concessa fuerat. Hanc consuetudinem semper ferè & ubivis obtinuisse, vetus testis est Historia. Purpura color, qui fiebat ex sanguine rutilantis piscis marini, soli semper Imperatori reservabatur. In Insulâ Obsiade crescentes & ad littus appulsi Topazii, solis cedebant Ægyptiorum Regibus. In provinciâ Palestinâ gemmas preciosas, quas Galli Balais vocant, Rex capit. In Tartariâ reperti adamantes & aliæ gemmæ omnes ad ipsorum Imperatorem pertinent. Succinum, electrum, blessum, quæ alluvione, nonnisi ad littus Sarmaticum in Prussia, quando Auster spirat, appellunt, Serenissimo Electori Brandenburgensi, Prussiæ Duci cedunt. Simili superioritatis jure Turcarum Imperator sibi sumit terram sigillatam, quam singulis annis sextâ Augusti ex monte Vulcani fodi juvet. Uti & Magnus Dux Moscoviæ preciosissimas pelles zobelinas sibi vendicat.

Th. XXIII.

Navigationes, in quibus tertius fluminum usus consistit quamvis in mari potissimum frequententur, non tamen inusitatæ sunt etiam in fluminibus, ubi æquè ac in mari sua secum ferunt commoda ac utilitates. Quamvis enim magis dissitæ regiones adiri per maria, earumque commoda mutatis mercibus, pervulgari in cœteras possint; sunt tamen etiam flumina, quæ per diversas oras labentia, commercia promovent. Atque ob horum commoditatem inventa est navigatio, cum longè minori operâ aliquid in navi, quam in curru vehatur ac facilius imò citius quandoque de loco in locum perferatur. Libera illa cuique fuit antiquitus per æ-

prius alleg. §. 4. *I. de rer. div. Job. Loccen de jure Marit. lib. 1. c. 4.* Hodiè à Majestate præditis est restricta, uti infra traderur. Ut autem eò meliori ordine procedam, primam agam de navibus, deinde nautis, postremò de rebus, quæ vehuntur.

Th. XXIV.

Naves olim trium præcipuè generum erant: Bellicæ, quæ remis impellebantur, nonnunquam etiam velis & longæ erant, similes ferè hodiernis navibus galeatis: Actuariæ, quibus homines trajiciebantur, & Onerariæ. Harum in omnibus benè constitutis Rebuspubl. magnam copiam habebant. Sed cum his navium speciebus in mari potissimum usi sint, & de structurâ navium, de generibus & varietate, de inventoribus earundem (quorum primum Noamum fuisse perhibent) jam quædam conscripta extent, eorundem exscriptione implere paginam non lubet, sed eo remitto curiosum lectorem. *vid. Lazar. Bayf. in l. 11. de captiv. & postlim. reverf. Sigism. Buch. d. differt. th. 219. 220. 221. Hering. qu. 16. Ubi etiam de natatoribus & urinatoribus jucundas quasdam Historias affert. Stypmann. part. 3. c. 2. 3. 4.* Quæ hodiè navigationi in fluminibus inserviunt navium genera, non adeò ignota sunt. Scaphis enim (Germ. Kähne / Fischerkähne) utimur: Item majoribus navibus, vel cum velis, si nimirum adversus flumen navigandum sit, vel sine iis; & aliis, quibus flumen trajicimus, Germ. Fehren appellatis.

Th. XXV.

Nautæ diversas, quæ circa navim dirigendam occurrunt, functiones obeunt; & sunt genus hominum plerumque leve, impium, & nullius ferè sceleris expers: Id quod cum alliis, quibus pericula semper præsentia sunt, commune habent. Indè est, quod multò severius, quam alii, Navarchi in delinquentes suos animadvertant, & admodum levi

levi de caussâ in leges nauticas peccantes ad malum jubeant suspendi. Atque hæc Jurisdictio Navarchi in suos subjectos, nulli loco est adstricta, sed navi quasi cohæret. *Sigism. Buchn. th. 242. De variis nominibus & functionibus nautarum vid. d. autor. th. 193. Stypm. p. 3. c. 5. 6.* Inter alias personas, quæ nautarum generali vocabulo comprehenduntur, occurrunt Exercitor, & Magister navis. Ille est, ad quem omnes obventiones & reditus ex navi perveniunt, sive sit dominus, sive conductor navis per aversionem. *l. 1. §. 15. de Exerc. act.* Hic vocatur, per quem Exercitor navem exercet, cui scilicet totius navis cura demandata est. *l. 1. §. 1. 5. d. t.* Ex hujus contractu datur ob caussas in *pr. d. l. 1.* à JCto expositas, actio adversus Exercitorem, Exercitoria inde dicta: Et est, quâ ex contractu à Magistro navis secundùm modum præpositionis gesto, Exercitor navis convenitur. *§. 2. I. quod cum eo qui in al. pot.*

Th. XXVI.

Pro fundamento habet illum ipsum contractum, à Magistro navis ejus rei nomine, cui præpositus fuit initum. Ipsâ enim præpositione videtur fidem suam Exercitor interponere. Datur hæc actio ei, qui secundùm formam præpositionis cum Magistro contraxit, & ob singularenm contrahentium utilitatem contra stricti juris rationem à Prætore est introducta. *d. l. 1. pr. h. t. §. 2. I. Quod cum eo qui in al. pot.* Constat igitur hinc, quod in legem & formam hanc præpositionis diligenter sit inquirendum, nam si egressus eam fuerit contrahens cum Magistro, Exercitor non obligabitur. *l. 1. §. 12. h. t.* Certi autem esse hàc de re possumus, si expressum domini mandatum extet, quod ostendere debet Magister; aut voluntas ejus ex scientiâ & patientiâ colligi possit. Si mutuam pecuniam absque mandato acceperit Magister, quid dicendum? Ego obligari Exercitorem assero, si modo sequentia

 con-

concurrant: (1.) Ut sciat in hoc se credere, cui Magister quis sit præpositus: (2.) Ut res in eâ caussâ sit, ut impensam illam, e. g. navis refectionem, desideret. (3.) Ut hâc lege credat, & præpositus eâdem accipiat pecuniam, ut impenderetur in rem. (4.) Ut non multò major pecunia credita fuerit, quam ad eam rem fuisset necessaria: Et (5.) Ut in eo loco credita sit pecunia, in quo id, propter quod numerabatur, comparari potuerit. *l. 1. §. 9. l. ult. § 2. h. t. Amplisß. Dn. Struve Syntagm. Jurisprud. Exerc. 20. th. 10.* Competit actio Exercitoria contra Exercitorem, etiamsi vel mulier, vel pupillus fuerit, modò hic tutoris adhibuerit autoritatem. *l. 1. §. 16. h.* Quod si plures sint, qui navem exerceant, singuli ex contractu Magistri, (utpote cum quo uno non cum pluribus contractum) in solidum tenentur, ut tamen is, qui aliquid præstiterit, id societatis judicio à cœteris consequatur. *l. 3. l. 1. § ult. l. 2. l. 4 §. 1. h.* Persequimur hâc actione, quod secundùm cujusque contractûs cum Magistro initi naturam nobis debetur, & eligere possumus, utrum Exercitorem hâc Prætoriâ, an Magistrum, modò persona libera sit, actione directâ civili ex proprio contractu convenire velimus. *l. 1. §. 17. h.* Sed ex contrario exercenti navem, adversus eos, qui cum Magistro contraxerunt, actio non promittitur, quia non eodem auxilio indiget, cum, aut ex locato cum Magistro, si mercede ei operam exhibet, aut si gratuitam, mandati agere possit. Aliquando tamen dominus juvatur. *d. text.* Atque hæc de hâc actione delibâsse pro modo instituti sufficiat, plura, qui volet, adeat *Amplisß. Dn. Struv. d. Exerc. 20. & Stypmann. p. 3. c. 15.*

Th. XXVII.

Succedit nunc, ut & reliquas actiones, quæ in Exercitorem dantur, attingamus. Duæ autem nobis competunt ob res nostras in navem illatas; altera ex quasi contractu, quæ voca-

vocatur actio de recepto, altera ex quasi maleficio. Illius fundamentum est, uti dictum, quasi contractus, qui inducitur ex facto receptionis, quo exercitor navis censetur tacitè promittere, salvas fore res receptas. Neque enim opus est, ut speciatim designentur res, seu custodiæ exercitoris expressè committantur. Amissam tamen fortè arcam & res inclusas petens, probare debet, quænam fuerint res. Competit vectoribus res suas inferentibus *l. 1.* §. *1. Naut. caup. stab.* etiamsi gratis navigaverint *l. 6. pr. eod.* adversus Exercitorem, si vel ipse res receperit, vel Magister navis, vel alius, cui rem committi jussit *d. l. 1.* §. *2. & 3.* Ex nautarum & mesonautarum receptione haut obligatur. Persequimur hâc actione rem illatam, vel salvam receptam, ac præstare debet Exercitor omne damnum etiam levissimâ culpâ datum. *l. 3.* §. *1. h. t.* Hæc oritur ex quasi delicto, cum aliquatenus culpæ reus putetur, qui operâ malorum hominum utitur. §. *ult. I. de Obligat. quæ ex quasi delict. nasc. l. ult.* §. *4. h. t.* Instituitur à vectore, cui in navi ab iis, quorum operâ utitur Exercitor, non à reliquis vectoribus, tunc enim non obligatur. *l. 6.* §. *3. h. t.* damnum datum, aut furtum factum, contra Exercitorem. Quod si plures navem exerceant, datur adversus unumquemque pro parte; quam in navi habet. Est hæc actio in duplum & perpetua, quamvis in hæredem non detur. *l. ult.* §. *1. & 6. h. t.* Quoniam autem, inquit Ampliss. Dn. Struve *Exerc. 8. th. 117.* ex tacito consensu venit prior actio, ac posterior ex præsumtâ culpâ, ideoque, si consensus iste non adsit, & culpam quis à se declinet, neutra dabitur. Quod contingit, si prædixerit, ut unusquisque res suas servet, neque damnum se præstaturum. *l. 7. pr. h. t.* Nec opus est, ut expressè consentiat prædictioni vector, sed sufficit tacitus consensus. *vid. d. Exerc. 8. th. 106. &c. Stypmann. p. 3. c. 15. n. 298.*

Th. XXVIII.

Th. XXVIII.

Cœterum vehi possunt regulariter omnes res, *v. th. 23.* modò non sint in numero mercium vetitarum; hæ enim fisco vindicantur. Dixi autem supra restrictam esse hodiè navigationem: Id nimirum factum est per Vectigalia, Ripatica, & jus stapulæ. Vectigalia ritè continuoque præstari, Reipub. imprimis interest, cum juxta *Cic. in Orat pro L. Man.* sint ornamenta pacis, subsidia belli, nervi Reipub: Et coarctatio hæc libertatis navigationis, quamvis odiosa videatur, reverà tamen talis non est, sed potius publicum favorem meretur *l. 10. C. de vectig. & commiss.* Magnos enim sumtus locorum publicorum cura & securitatis & navigandi commoditatis conservatio requirit: Neque exigua tàm Principis, quàm Imperii salus in vectigabilibus sita est, atque illis efficitur, ut non modo sit pecunia, quæ in necessarios usus pendatur sed & supersit, quæ ponatur in ærario. *Knichen. de Sax. non prov. jur. c. 5. n. 82. Sigism. Buchn. d. Dissert. thes. 129.* Sunt itaq; de regalibus ad Imperatorem in nostra Republicâ, ex ejusque concessione ad Electores & cœteros Imperii Status pertinent, qui deinde suis subjectis ea rursus concedere possunt. Sicut expresso consensu superioris ita & Præscriptione acquiruntur regalia vectigalium: Et quidem contra Principem tempore immemoriali: Is enim tàm diu vectigalia exigi passus permisisse censetur, & ejus patientia habetur pro consensu: Contra inferiorem, qui ea jam à Principe impetravit, juri huic, ut loqvuntur, jam formato, quadraginta annis præscribitur. *Sigism. Buchn. th. 133. 137. 138.*

Th. XXIX.

De omnibus rebus ac mercibus, etiam de navi vacuâ solvitur vectigal, in transitu nimirum, non in reditu, cum amplius, quam semel pro eàdem re gravari, iniqvum sit. Excipiuntur tamen res quædam, quæ privilegiatæ sunt: Ut res

exer-

exercitui paratæ *l. 9. §. 7. de Publican.* res fisci *d. l. §. 8.* res juris exercendi gratiâ & ad proprium usum destinatæ *l. 5. C. de vectigal.* Quibus Dd. addunt res studiosorum, ut & Doctorum & Professorum *Vid. Stypmann. p. 5. c. 3. & ab eo allegati.* Quorum res ulterius à vectigalibus immunes sint persequitur *Sigism. Buchn. th. 145. &c.* Ut autem constet, quantum pro mercibus universis præstare debeant nautæ vel mercatores, necesse est, indicent eas ac profiteantur & quidem fidelissimè. Huc pertinet jus Geranii: Exstructas enim habent magnæ Civitates, propè flumina navigabilia sitæ, machinas quasdam, Kran appellatas, quibus absque magnâ operâ ingens moles tolli potest: Et utuntur iisdem ad exonerandum mercibus navem, & utilitati vectigalium adversus mercatorum fraudes prospiciendum. Quod si vel hoc modo eos fraudulenter aliquid reticuisse appareat, vel aliàs fraus facta vectigabili v. g. prætervectione, mit Zoll verfahren / res cadunt in commissum. Quod de vectigali licito & concesso intelligendum: Illicitum enim impunè non solvitur; imò si solutum repeti potest. *vid. Dilectus Dn. Parens d. tr. c. 2. n. 237.* Priori tamen casu, ut & posteriori, si fortè, non animo fraudandi, sed quod ignoraverint, vectigal ibi institutum esse, hoc fecerint, mitius puniuntur & duplicatam saltem Gabellam solvunt. *Knichen. d. l.* Non autem absonum videtur, hæc arbitrio domini vectigalis relinquere, cum vix aliquid certi determinari possit. Et nihil refert an hæc à Mercatoribus ipsis, an verò à nautis, quos conduxerunt, fiant: Eodem enim modo res committuntur, & jus hoc mercibus inhæret. Neque id adeò iniqvum & præter rationem est, ut putat *Knichen d. l.* Cum dominus mercium deinde cum tali nautâ agere possit, & ita iterum consequi, quod perdidit. *arg. l. 6. §. ult. Nautæ. caup. stabul. Sigism. Buchn. thes. 164.* Si verò nauta non sit solvendo, tunc sibi imputet dominus, quod

D non

non magis idoneum elegerit. Sed quæritur; an ipso jure res in commissum cadat? Quod aff. *per l. 14. de Publican.* ita nimirum, ut dominium rei commissæ ipso jure transeat in dominum vectigalis, quamvis interdum ob partis contradictionem intervenire possit sententia declaratoria, per quam possessori possessio auferatur. *Knichen. de Sax. non prov. jur. Buchn. th. 159. Stypm. p. 5. c. 2.* Atque hinc res commissæ rei vindicatione peti possunt, tàm ab ipsis principalibus, quàm nomine eorum à præpositis, quæ intra quinquennium est instituenda, illo enim tempore finito perit. *l. 2. C. de vectig. v. Gothofr. in h. l.*

Th. XXX.

Quantitas vectigalium olim fuit octava pars mercium, unde conductores vectigalium octavarii dicti *l. 7. l. 8. C. h. t.* Hodiè in Imperio ubique certa quidam est, sed non eadem, & diversis locis diversa. Quæ autem semel alicubi obtinuit, servanda est, & novorum ac insuetorum vectigalium, si id Cæsar non specialiter permiserit, exactione abstinendum. Alioquin si id fiat, decernuntur mandata sine clausulà & de restituendo, si quid vectigalis acceptum. Æquitati etiam consentaneum, ut quoties de novo vectigali concedendo, aut veteri augendo agitur, ii audiantur, quorum interest, qui nimirum inde detrimentum aliquod vel gravamen sentire possunt. Atque olim tàm odiosa fuit novorum vectigalium injunctio absque consensu Imperatoris, ut hastiludiis, sive trojaminibus autores interdicerentur. Austriæ tamen Archiduces peculiari privilegio donatos esse; ut nova vectigalia imponere possint, tradunt Dd. *Limnaus lib. 95. c. 1. Sigism. Buchn. th. 142. Knichen. d. l.* Quamvis Imperator sine Electorum consensu nec vectigalia nova imponere nec vetera augere soleat, vigore capitulationis Caroli V. Cujus verba hæc sunt: Wir sollen und wollen auch insonderheit / dieweil die

Teutsche

Teutsche Nation und das H. Röm. Reich zu Wasser und Lande zum höchsten vor damit beschweret / nun hinfüro keine Zoll von neuen geben noch einigen alten erhöhen ohne besondern Rath / Wissen / Willen und Zulassen der bemeldten sechs Churfürsten. Sed an hæc quantitatis vectigalium restrictio etiam ad Judæos extendenda? Sanè nec eos amplius, quàm Christianos gravari æqvum est, cum alias tributum suum solvant, atque alioquin ad magis decipiendum Christianos & inhiandum illorum bonis instigentur. Pro hoc commodo, quod Principes, aliique, quibus ipsi concesserunt, ex vectigalibus capiunt, obstringuntur, ut, si piratarum malitià mercatores vel merces persoluto vectigali damnum patiantur in territorio suo, illud resarciant. Quod etiam de jure Saxonico & in Gallia obtinet, & per *recessum Imperii de Anno 1559.* confirmatur. Nisi mercator vel nauta per ambages & vias insolitas progrediatur, tunc enim si quid acciderit mali, ipse sibi imputare debet. *Knichen. d. l.* Sed hæc usu hodiè non servari, tradit *Stypmann. d. tr. p. 5. c. 1.* Deinde Salvum Conductum Princeps vel alius jus conducendi habens petentibus, vectigali accepto non debet denegare: Et præstatur ille, vel navibus aliis & certis custodibus, quos Geleitsmänner appellant, vel, quod plerumque fieri solet, literis, mit Geleitszeddeln. His datis dominus securitatem transnavigantibus dedisse intelligitur. *vid. Sigism. Buchn. th. 237. 238. 239. 240. Stypm. p. 5. c. 1.*

Th. XXXI.

Hæc de vectigalibus: Ratione riparum præstantur Ripatica, quæ etiam ad Regalia pertinent *2. Feud. 56.* Et sunt provendus ac commoda, quæ tanquam vectigal quoddam occasione riparum percipiuntur, sive pro trajectione fluminis, sive ut liceat aliquandiu ad ripas navibus ibi alligatis quiescere, pendantur. De cœtero certum est, eum, qui natu-

rali fluminis cursu non utens per rivum forte deviat, magnam suspicionem incurrere, quod vectigalia defraudare velit. Sed anne hæc etiam in ripaticis obtinent, ita, ut ad ea evitanda devium iter quæri non possit? Quod aff. cum primò nullam videam differentiæ rationem: Deinde etiam ripatica vectigalibus annumerentur, imò species sint vectigalium; atq; ita eundem favorem publicum mereantur. *Dilectus Dn. Parens tr. de Regal. c.3. n.62. Stypm. d.tr. p.2. c.5. n.387. Diss. Sigism. Buchn. th.167.*

Th. XXXII.

Ulterius libertas navigationis restricta est per jus Stapulæ; quod est privilegium Civitatibus quibusdam concessum, vigore cujus præternavigantes merces suas exonerare, & ibi venum exponere coguntur. Inter has Civitates etiam referunt nonnulli Magdeburgum, quod frumentum attinet, die Kornschiffung / ut *Stypmann. d. tr. p. 1. c. 9. n. 34.* autoritati Borcholti & Mindani innitens. Verùm, quam justè hoc Magdeburgenses sibi vindicent, & prædicti Dd. ipsos defendant, disquirere paulisper operæ precium erit. Sciendum igitur est, eos, crescente indies per fœdus Hanseaticum illorum potentiâ, regalia in Albi, quæ aliàs ad Archiepiscopum pertinebant, paulatim occupâsse: Illo tempore benè observato, quo vel de Archiepiscopatu, vel de ipso Imperio lis erat. Hoc modo in turbis quietem, in damnis aliorum commoda inveniebant. Postmodum cum Burchardus ad Archi-Episcopatum pervenisset, per omnia Magdeburgenses contrarii ad varia pacta ineunda ipsum adigebant. In his etiam celebratum illud est, quo pro 600. marcis argenti Stendaliensis, quæ vix 300. thaleros efficiunt, hæc Regalia in Albi sibi concessa esse venditant. Egregia profectò quantitas pro re tantâ: Nec verisimile est, hunc Archiepiscopum, id, quod Antecessori suo Erico Marchioni Brandenburgensi pro

9000.

9000. marcis ab Alberto II. Saxoniæ Electore cessum, tàm exiguo precio vendidisse. Nam hoc quidem evincit pactum hoc, quod concesserit hæc Regalia, sed non, quod in perpetuum. De certo autem tempore tantùm sensisse illum, exinde deduci potest, quod, cum finito illo, denuò tantundem solvere detrectarent, arces ad Albim posuerit ad inhibendum ipsis istum usum, donec iterum 600. Marcas penderent.

Th. XXXIII.

Ejusmodi illegitimis modis, (de quibus latius *vid. Dn. Benjamin* Leuber *tractat. quem inscribit: Disquisit. plan. stap. Sax.*) acquisitum jus stapulæ, adhuc hodiè, inanibus quibusdam & ad rem planè non facientibus privilegiis tuentur, & ad se pertinere defendunt. Verum hoc unicum ipsos satis convincere posse arbitror, quod jus Stapulæ, utpote commerciis summè perniciosum, per se odiosissimum sit, nec aliter, quàm ab Imperatore, adhibito Ordinum consensu & auditis iis, quorum interest, concedi possit: Atque ad hoc demonstrandum verba expressa requiri, qualia Magdeburgenses planè deficiunt. Hæc & quæ alia huc facientia præterire cogor, quamvis pluribus persequi primùm animus erat, tamen, cum libertatem commerciorum satis *d. tr.* defendat *alleg. Dn. Benjamin* Leuber / ne præter mentem in immensum excrescat opus, ad alia propero.

Th. XXXIV.

Atque sic, in quibus jus fluminum acquisitum consistat, expositum est: Sequitur, ut postquam de ipsis fluminibus egi, etiam, quid circa accidentia eorum commoda & incommoda jura statuerint, attingam. Talia autem præcipuè quinque contingere solent: Nimirum, Vis fluminis, Inundatio, Derelictio alvei, Alluvio & Insula. Vis fluminis dicitur, quando flumen violento impetu, aliquid ablatum alteri ripæ vicino prædio adjicit. De eâ in *§. 21. I. de rer. div.*

 statu-

ſtatutum invenimus, quod pars prædii alteri ademta, atque alterius prædio adjuncta prioris domini permaneat: Planè ſi longiore tempore fundo vicini hæſerit, arboresque quas ſecum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicini fundo acquiſitæ eſſe. *l 7. §. 2. de A. R. D.*

Th. XXXV.

Inundatio fieri propriè dicitur, quando flumen e. g. imbribus auctum & egreſſum ripas, in vicinos campos ſe effundit, ita, ut ſimul alveum ſuum teneat. *Hinc Sen. 3. Nat. quæſt. 27.*

Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos,
Preſſæque labant ſub gurgite turres.

Ita Nilum quotannis evagantem pluviarum in illis regionibus defectum ſupplere conſtat. Ita & noſtri fluvii reſolutâ hyeme nive, atque aquis æſtate ex alto decidentibus intumeſcentes, ſeſe per prata, per agros, non ſine inſigni accolentium damno diffundere ſolent. Hoc autem facto, dominium agri ille, cujus antea fuit, non amittit, ſed ſi receſſerit aqua, ejusdem manet. Cum inundatio fundi ſpeciem non mutet, & poſſeſſio interim animo retineri poſſit. *§. 24. I. de rer. div. l. 7. §. 6. de A. R. D. Stypm. d. tr. p. 2. c. 5. n. 313. Don. 5. comm. 12.* In Hollandiâ derelictus habetur ager, qui per decem annos merſus fuit, ſi in aliqua extent ſigna continuatæ poſſeſſionis. Quo in genere receptum non immeritò eſt, quod Romani rejiciunt *l. 23. quib. mod. uſusfr. amitt.* ut ſi aliter nequeat, vel piſcando retineri poſſeſſio cenſeatur. *Grot. l. 2. c. 8. de J. B. & P.* Et *Sigism. Buchn. d. diſſ. th. 58.* refert: In Rheni tracta ubivis ferè conſuetudinem vigere, ut inundationis tempore etiam aliorum piſcinas, ſi ſcaphâ eò venire queant, impunè epiſcari liceat.

Th. XXXVI.

Tertium accidens fluminum eſt Derelictio alvei, quæ fit, cum flumen veteri alveo relicto aliò fluere cœperit. Et

ille

ille quidem (derelictus nimirum) definit esse publicus, & incipit eorum esse, qui propè ripas prædia possident; pro modo scilicet latitudinis cujusque agri, quæ propè ripam est. *§. 23. de rer. div. l. 7. §. 5. de A. R. D.* Contra hoc, quamvis multa dici possint & ratio ejus dubia sit; uti *Don. 4. comm. 28.* annotavit. Tamen, cum alveus à flumine occupatus, ejus naturam induerit saltem propter usum publicum, atque is exsiccato alveo cesset, redit etiam ad pristinum statum & fit vicinorum. *l. 30. §. 1. d. l. verbis quia jam populus eo non utitur. Stypmann. p. 2. c. 5. n. 297.* Accedit, quod aliàs æqvum sit, quia vicini onera alvei sustinent, v. g. inundationes & agrorum convulsiones, ut tali casu eveniente per quandam compensationis rationem emolumenta habeant. *per l. 10. de R. J.* Sed si iterum flumen ex novo illo alveo recesserit, interest, an id paulatim, & quasi per modum alluvionis, an verò subitaneo impetu, ita, ut novum illum cursum etiam non diu tenuerit, & adhuc constet, quis illius agri occupati dominus fuerit, factum sit: Priori casu iterum ad eos pertinet, qui proxima ripis prædia possident jure alluvialis accretionis. *§. 23. I. d. t. l. 38. de A. R. D.* Posteriori, quamvis strictâ ratione ob mutatum agrum in alveum, ille non veniret ad pristinum dominum, quoniam tamen hæc mutatio alvei inundationi videtur similis, ideò ea non obtinet & alveus ille denuò derelictus, ad veterem dominum redit. *l. 30. §. 3. d. t. l. 7. §. 5. eod. Ampliss. Dn. Struve prælect. ad Inst. d. t. Don. Stypman. d. l.* Cœterum Qu. Si Baroni vel Nobili jus capiendi vectigalis concessum, an mutato fluminis cursu, adhuc vectigal debeatur? Sanè, si in alienum territorium irrumpat, res expedita est, jus vectigalis perire veteri domino: Neque tamen ob id novo domino vectigalia statim debentur, sed aliâ opus est concessione *Sigism. Buchn. th. 169.* Si verò in eàdem ditione maneat, videtur quidem primo intuitu idem dicendum per

l. 3.

l. 3. §. 2. de acqu. quot. Et quod vectigal de loco in locum transferri non debeat: *Dilectus Dn. Parens d. tr. c. 2. n. 246.* Verùm, cum locum non dominus vectigalis, sed natura mutet, idemque fluvius, quamvis alveo mutato, maneat, conludendum videtur, vectigalia adhuc deberi: Præsertim cum juri etiam non sit inconveniens, ut, si sine incommodo iter facientium fieri possit, transferri vectigal queat. *Stypmann. p. 2. c. 5. n. 353.*

Th. XXXVII.

Sequitur alluvio *v. th. 34.* cujus vocabulum tripliciter in jure sumitur: (1.) Pro re, quæ accrescit: (2.) Pro ipso actu, quo alluvionem fieri dicimus. (3.) Pro effectu juris. *Stypmann. p. 2. c. 5. n. 482. Oetting. l. 2. c. 2. Hillig. 4. comm. 27. lit. b.* Describitur ea, quòd sit incrementum latens, fundo nostro adjectum à publico flumine. Quæcunque igitur ita paullatim adjiciuntur, ut intelligi non possit, quantum quoque temporis momento accedit. Jure alluvionis acquisita sunt. *§. 20. I. d. t.* Contingere solet in prædiis, quæ ripis quorundam fluminum terminantur, ejusque ea natura est, ut semper incerta possessio, incertum sit ejus dominium: Nam quod hodiè possidemus, nonnunquam altero die vicini fundi domino in alteram fluminis ripam translatam acquiritur. Nec tamen apud eum, cui accrescit semper remanet, sed plerumque redit ad priorem dominum cum augmento. Sæpè nec apud posteriorem manet, nec redit ad priorem, sed in arenam fluminis inundatione solvitur. *Oetting. l. 2. c. 2. ex l. fin. Cod. Justin. de Alluvion.* Est autem modus acquirendi justissimus, cum contingat per operationem ipsius naturæ & flumina Censitorum vice fungantur. *l. 30. §. 3. d. t.* Cui accedit, quod alter, cujus agro quid detrahitur, sibi imputare debeat, quod ripas non muniverit. Et prætereà, licèt nulla fortè culpa imputari possit possessori, hanc naturalem vim perindè

perindè ut alium casum fortuitum ferre debet. *Gryphiand. de Insf. c. 18.* Alluvionis incapaces sunt in genere loci, qui nullius sunt *Oetting. d. l. & Dd. ab eo alleg.* Via tamen publica non impedit jus alluvionis, sed quod ei adjicitur proximum prædium & quod viæ contiguum est, possidenti acquiritur. Quod agro Emphyteutico alluvione adjectum, ad Emphyteutam pertinet, ita ut cœtera in Emphyteusin data, cum etiam damnum, particulare scilicet, ferre teneatur. *l. 1. C. de Jure Emphyteus. junct. l. 10. de R. J.* Fundum feudalem quod attinet, si quod ipsi augmentum alluvione accedat, quoad utile dominium Vasallo, quoad directum Domino feudi acquiritur. *1. Feud. 4. §. 5. Schultz. Synops. inst. ad tit. de rer. div.* Sed anne in agris limitatis locum habet? Quod neg. Si nimirum id percipimus de illis, quos captos ab hostibus populus, vel Princeps possidendos dabat; certis finibus constitutis, ut si quid accrevisset, id populi Romani esset. *l. 16. de A. R. D.* (cujus accuratiorem explicationem habet *Don. 4. comm. 27. lit. e.*) Item de agris veterum Divisis, Assignatis, Quæstoriis, Centuriatis & similibus. Aff. si de hodiernis agris sermo sit: Quamvis enim hodiè agri nostri omnes limitati esse soleant, tamen id alio modo & aliis longè de causis factum. *Sigism. Buchn. thes. 90. vid. latè Oetting. l. 2. c. 2.* Quod autem hic de alluvione dictum, ad alia quoque fluviatica incrementa extendere non dubito.

Th. XXXVIII.

Postremò de Insulâ agendum, quæ est locus undique aquis circumdatus. Et vel est naturalis, qualis fit: Primò, cum flumen locum alvei relinquens circumfluere cœpit. Deinde cum paullatim colluendo locum eminentem super alveum fecit. Ultimò, si alicujus agrum, qui alvei non fuit, circumfluere cœpit: Atque hoc modo, si flumen insulam fecerit, manet prioris domini §. *22. I. d. t. l. 30.* §. *2.*

de A.R.D. Vel fortuita, quæ motu violentiori & casu, sed rarò fit: e.g. per terræ motum. Vel manufacta, quæ certo respectu ædificantis est. Prioribus duobus modis facta naturalis, ut & fortuita eorum fiunt, qui propè ripas ab utraque parte prædia possident. Et si quidem in medio fluminis natæ sunt, æqualiter inter ripas accolentes, pro modo latitudinis cujusque prædii dividuntur. Quod si alteri ripæ propiores sint, tunc diverso casu vel insulæ integræ, vel pars earum major, propiorem ripam possidenti acquiritur. *d.* §. *22.* Verum hæc intelligenda de proprietate, quoad usum enim sunt publicæ *l. penult.* §. *ult. de A.R.D. Justus Meier. in Coll. Argent. l. 41. tit. 1. n. 28. Diss. Don. 4. comm. 29. Stypman. p. 5. c. 6.* aliter hanc rem explicantes. Hodiè sicuti flumina publica, ita & eorum incrementa Regalibus sunt associata. Sententia verò statuentium, quod jus Civile adhuc observandum sit, eo casu æquitatem habet, quo Insula cum notabili decremento vicinorum agrorum nata, & attendenda hâc in re cujusque loci consuetudo *Amplis. Dn. Struve Syntagm. feud. c. 6. Buchn. th. 113. Gryph. d. tr. c. 11. n 2.*

Th. XXXIX.

Hisce expositis, non incommodum fore arbitror, de remediis, quæ ratione fluminum à Prætore dantur, nec non de delictis circa eadem, pauca subnectere. Remedia itaque illa sunt varia interdicta *vid. tit. de Flum. Ne quid in flum. pub. ripâve. Ut in flum. pub. navig. lic. & de rip. muniend. ibiq. Dd.* quibus flumina ad suos usus adhibentes tuetur Prætor, contra eos, qui id quocunque modo impediunt. Atque illud quidem, quod ex *tit. 12. de flum.* datur, ad ea tantum flumina publica pertinet, quæ navigabilia sunt, ad cœtera non. Quamvis rectissimè Labeo & post eum Ulpianus *non esse iniquum*, scribat, *etiamsi quid fiat in eo flumine, quod navigabile non sit, ut forsan exarescat, vel aqua cursus impediatur,*

utile

utile interdictum competere. l. 1. §. 12. 18. de Flum. Justus Meier. in Colleg. Argent. in h. t. Interdictum ex *tit. seq. 13.* adversus eum competit, qui aquam fecit aliter fluere, quàm priori æstate fluxit. *Et idcirco ajunt, Prætorem priorem æstatem comprehendisse, quia semper certior est naturalis cursus fluminum æstate, quam hyeme. Nec ad instantem æstatem, sed ad priorem interdictum hoc refertur, quia illius æstatis fluxus indubitatior est. Æstas autem ad Æquinoctium autumnale refertur, & si fortè æstate interdicetur, proxima superior æstas erit intuenda: Si verò hyeme, tunc non proxima hyemi æstas, sed superior erit inspicienda. l. un §. 8. Ne quid in flum. publ.* Dividuntur in genere hæc interdicta, excepto ultimo, *de quo inferius*, in Prohibitoria & Restitutoria, ac sicut illis cavet Prætor & prospicit, ne quid fiat, ita his, ut jam facta immissave restituantur, jubet. *l. 1. §. 19. & seqq. de Flum. l. un. §. 11. Ne quid in flum. publ.*

Th. XL.

Interdictum de ripis muniendis eò pertinet, ne ripam munire volens impediatur, licèt ejus caussâ in flumine publico, si utilitas id suadeat, aliquid fiat; modò refectio illa navigationi non sit impedimento vel cum incommodo accolentium fiat. *l. un. §. 6. Ne quid in flum. pub. l. un. §. 2. de ripâ mun.* Hinc, cum per istas munitiones damnum inferri vicinis facilè possit, tenetur is, qui ripam vult munire, vicinis & his, qui trans flumen prædia possident, in annos decem boni viri arbitratu cavere, vel satisdare secundùm qualitatem personæ *d. l. un. §. 3. 4. de ripâ mun.* Post opus factum, si anteà non cautum fuerit, L. Aquil. si quid damni datum, vindicari debet *d. l. un. §. 5.* Est autem ripas munire, aggeribus factis aquam fluviatilem coërcere, ne excrescens flumen agrum occupando damnum inferat. Idcircò non eas ripas muniri necessum est, quæ à plano versus aquam depen-

dent & publicæ sunt; nullum enim facilè damnum metuendum à flumine, quousque naturaliter fluit. Sed eas, quæ in plano sunt, & quarum proprietas ad privatos pertinet Indeque eas non à populo, sed iis, quorum sunt, muniendas esse duco. Atque hoc indicant verba edicti Prætoris *l. un. pr. de rip. mun. Quo minus illi in flumine publico ripâve ejus opus facere, ripæ agrive, qui circa ripam est, tuendi caussâ liceat. &c.* Ex quibus cum pateat, eum qui ripam munit, non id ripæ tantum, sed & agri, qui circa eam est, tuendi gratiâ facere, simul intelligitur, ripam munientem agri adjacentis dominum esse: Quem enim alium utilitas illius tangere potest? Accedit, quod omne commodum possidens ripam ex eâ capiat, & quilibet rei suæ curam agere teneatur. Quamvis autem proprium emolumentum quem non moveat, ut muniat ripas, ad id tamen ab Imperatore invitus compelli potest, cum hoc publicæ utilitati debeatur. *Dilectus Dn. Parens d. tract. c. 3. n. 62.*

Th. XLI.

Cœterum inter varios modos, quibus aliquid fieri potest, vel immitti, quo usus fluminum deterioretur, recensentur præcipuè Aquæductus & Molendina. Est verò aquæductus jus aquam ducendi è flumine per alienum prædium ad suam utilitatem. Et quidem in privato flumine hoc jus iisdem modis acquiritur, quibus alia ejusmodi jura: In publico, concessione Principis, *l. 2. de flum.* aut præscriptione, cujus non extat memoria, in contrarium. Hæc immemorialis præscriptio solet probari per testes, si accolæ deponant, se à majoribus semper audivisse, aquam hoc modo è flumine ductam. Necesse autem est, fiat aquæductus sine fundi servientis detrimento, & modus ducendi primævus omninò teneatur. *Sigism. Buchn. th. 68. 70.* Varias de aquæductibus quæstiones *vid. apud Noë Meurer. p. 57.*

Th. XLII.

Th. XLII.

Molarum de cætero singularem gerere curam, ad Reipub. salutem videtur pertinere; Indeque eorum despoliatio, confractio, destructio tempore belli sub pœnâ capitis est prohibita. *Sigism. Buchn. th. 118.* Exstruuntur molendina vel in flumine privato, vel in publico. In illo quidem liberè & sine ullà autoritate Principis ædificare licet; modò tamen primò meræ facultatis ea res fuerit: Puta nisi post interpositam prohibitionem, præscriptio vel alterius privilegium ut solus molat, obstet, vel aliàs certus in illis locis & definitus sit molarum numerus. *Petr. Frid. Mind. de Mand. l. 2. c. 38. n. 3.* Deinde, si saltem id faciat boni publici ergò, non ex nudà æmulatione, non nocendi animo: Colligitur ille, si impensæ in molendinum factæ excessuræ sint commodum, quod inde percipi posset. Atque tunc paratum est remedium novi operis nunciationis. In hoc (*publico videlicet flumine*) molendinum absque permissu Principis exstruere non licet per textus, ubi dicitur: *In flumine publico nihil à quoquam fieri posse, quo vel navigatio, vel statio, vel cursus fluminis aut difficilior fiat, aut usus fluminis corrumpatur, vel minor ac rarior efficiatur. Ampliss. Dn. Struve Syntagm. Feud. c. 6. Petr. Mind. de interdict. tit. 6. Stypmann. d. tract. p. 2. c. 5. n. 126. vid. latè hanc quæstionem tractans Hering. de Molend. c. 15. num. 23. &c.* Neque admitto hic distinctionem inter flumina navigabilia & non navigabilia; quod scilicet, si in illis velit molam ædificare, necesse habeat Principis adhibere consensum, in his non: Cum eadem utrorumque quod hoc attinet, sit ratio per *l. 1. §. 12. versic. sed Labeo de flum. l. un. §. 2. Ne quid in flum. pub.* Sed si quis jam molam ex Principis concessione habeat, anne alius potest impetrare, ut sibi etiam ædificare liceat, ita, ut alteri inde damnum oboriatur? Quod neg. Cum Princeps, quod semel concessit, non ita absque

 causâ

caufsâ iterum auferre, aut aliquid, quod alteri nocet, concedere soleat. *l. 2. §. 10. Ne quid in loco pub.* Si etiam contra factum fuerit, obreptionis beneficium opponi potest, & secunda ejus jussio expectanda est: *Stypmann. d. tr. p. 2. c. 5. n. 157. & Dd. ab eo allegat. Besold. Dissert. de rer. div. c. 2. n. 2. addens: Licet ob constructionem molendini novi alteri vetustiori præjudicium afferatur*, daß es ihme an den Kunden Schaden bringt / *id non esse justam caussam impediendi eam.* Quod probo, si levius saltem hoc damnum sit: Cœterum si tale sit, ut vix impensas ex reditu recipiat, contrarium statuo. Succedit alia quæstio: An nimirum dominus molendini superioris, tempore siccitatis, vel aquarum penuriæ aquam colligere possit invito domino molendini inferioris? Et salvo pacto sivè consuetudine, quæ adest, distinguo. Aut inferioris conditio fit deterior aut etiamsi aquæ recollecta (ut loqvuntur) non fieret, molere tamen non posset: Priori casu potest, posteriori non potest recolligentem aquas impedire.

Th. XLIII.

Postremò de delictis quædam adjungenda veniunt: *vid. th. 39.* quorum coërcitio ad Jurisdictionem & merum Imperium habentem pertinet. Hinc est, quod si quis in flumine suffocatus reperiatur, nonnisi ab eo, qui Jurisdictioni ibidem loci præest, tolli possit, quod vocant: Gerichtlich oder mit dem Gericht auffheben. Ratio ejus est, ut cognoscere possint judices, an fortuitò, an vero deliberato consilio flumini sit immersus: Item, an non fortè alibi occisus in illud deinde dejectus sit: Atque causâ cognitâ, quid de cadavere fieri velint, disponere. Quod si ab alio potestatem tollendi non habente extractum cadaver, vel aliò portatum fuerit, necesse est, ut ab illo iterum ad locum devehatur: Imò è terrâ sepultum eruitur, junctâ gravi temeratæ Jurisdictionis pœnâ additâque protestatione, ne hoc actu deinceps

ceps quæsito juri præjudicetur. *Stypmann.p.5.c.1. n.19.* Quod in præcedentibus dictum, ad alia mortis violentæ genera notoriè extenditur: Nequaquam enim ejusmodi cadaver, ab alio, quam cui in eo loco Jurisdictio competit, tolli potest.

Th. XLIV.

Delicta, quæ in fluminibus potissimum patrantur, sunt: (1.) Piscatio in alieno. Hoc, qui committunt, æquiparantur furibus, & pœna furti etiam in eos statuta est in *S. R. Imp. Const. pæn. const. 169. Oetting. de jure & controv. lim. l.1. c.12. lit.u.* (2.) Illud, quod Piratæ committunt, auferendo bona navigantibus, & intuta reddendo itinera. Horum persecutio iis incumbit, quibus penduntur vectigalia: Capti verò eâdem, quâ prædones, pœnâ plectuntur. *Mindanus de interdict. tit.6. n.39. Matthæus de crimin tit.2.c.2.* (3.) Ruptio aggerum: Et Princeps quidem vel alii superiores, summâ necessitate & utilitate publicâ id exigente, fortè ut hostes eò melius arceri queant, jubere possunt, ut aggeres perfodiantur, daß die Thämme durchstochen und das Land unter Wasser gesetzt werde: Idem verò à privato fieri sub gravi pœnâ vetitum est. Nam in *l. penult. de Extraord. crim.* pœna extra ordinem statuta est; Nimirum pro conditione personarum & admissi qualitate, damnatio, vel ad metallum, vel ad aliud opus publicum. Sed hæc deinde ab Imperatoribus Honorio & Theodosio exasperata est, dum in *l. un. C. de Nili agg. non rump.* rumpentem aggeres flammis comburi jubent, eo loco, quo vetustatis reverentiam & propemodum ipsius Imperii appetierit securitatem. Neque hæc pœna adeò atrox est: Si enim incendiarii, non solum quando homines flammis ab ipsis suscitatis periere, sed & ob præsens periculum mortis & bona miserorum incendio consumta hoc modo plectuntur: Cur non & aggerum perfossores, cum vis fluminis in agros immissi homines, pecudesque ac villas

per-

perdere soleat? Cœterum hæc omnia, quamvis saltem de Nili aggeribus ruptis statuta sint, Dd. nihilominus etiam ad nostra flumina extendunt: Pœna autem pro regionum varietate & damni perfodiendo dati qualitate variat. *Matthaus de crim. tit. 5. c. 3.*

Atque hoc modo materiam de FLUMINIBUS aliqualiter pro modo instituti delineâsse sufficiat. Cœtera, quæ hic tantùm non intacta, aut prætermissa penitus videbuntur, non angusti Disputationis, sed extensi magis Tractatus limites capiunt. In materias enim me incidisse fateor, quæ singulæ peculiari scripto materiam suppeditarent. Tu, operam nostram, benevole Lector, boni consule, ac non tàm eventum respice, quàm conatum.

ÆMula Permagni generosa propago Parentis,
Virtutes artemque colis bene juris & æqui.
Sic porro Patris vestigia clara sequaris:
Ejus Te laudes & gloria summa sequetur.

Hoc autoschediasmate faventem & gratantem animum exhibere voluit genere, virtute ac eruditione Nobilissimo Dn. Respondenti, amico suo suavissimo

Georgius Adam Struve / D.

FINIS.

